

*Y - 2*  
JOH. LUDOVICI FREY

SS. THEOL. D. & PROF.

*nec non*

FAC. TH. Ipsiusque ACAD. BASILIENSIS

SENIORIS,

# EPISTOLA

*A D*

VIRUM CLARISSIMUM & REVERENDUM

## JACOBUM KRIGHOUT,

*REMONSTRANTIA AMSTELOD.*

*PROFESSOREM,*

STRICTURAS NONNULLAS

*A D*

## SERMONEM FUNEBREM,

*QUEM*

SUO NUPER COLLEGÆ,

## JOH. JAC. WETSTENIO,

*habuit, continens.*



BASILEÆ,


---

Apud JOH. RODOLPHUM IM- HOF, 1754.

*age*  
ogr. erud.  
1693, 88

*Vitt. Erud. Sing. - Vol. Wien - Herz*





PICTA  
AD  
VIRUM REVERENDUM & CLARISSIMUM  
JACOBUM KRIGHOUT,  
*apud Remonstrantes Amstelodamenses*  
PROFESS. CELEB.



 Miraberis forsitan, *V. R.* & *Cf.* compellari Te Literis, ignotum à plane Tibi ignoto: in primis si percepis, eam esse rationem valetudinis meæ, ut jam dudum omni Comercio Epistolico & Scriptioni paullo longiori nuncium mittere, & officio meo Professorio intra ædes privatas defungi coactus fuerim: eam deinde ætatem (72. annos jam explevi) quæ longe aliud pensum mihi imponit quam hæ literæ contine-re debent, & ut ad *euθανασίαν* totus me componam, brevi

A 2 uni-

universæ vitæ rationem Summo & πανεπόπτη Judici redditurus , acerrime stimulat : verum mirari desines , si quæ rationes calatum , sed nonnisi per multa intervalla usurpandum , manui meæ admoverint intelligas. Ad nos delatum jam ante aliquod tempus fuerat N. Test. cum Var. Lect. & Comment. J. J. Wetstenii cum Prolegom. sed multum a priori Editione diversis. Cum fugitivo tantum oculo perlustrassemus , non potuimus non exclamare , ô horribilem librum ! Vidimus atrocissimas calumnias , dira mendacia , veteres techinas , ingenti confidentia renovatas , quasi nihil horum jam ante vicennium non ita profligatum & dissipatum fuisset a Conventu nostro , ut evidentia calumniarum in cunctorum , non infano in hunc hominem amore propensorum , oculos & mentes incurrit : vidimus novis mendaciis , cumulata vetera , improbe effusis in omnes Ordines , ipsum Ampl. Magistratum (\*) , Ven. Conventum , quamplurimos Viros alias innocentissimos , de Ecclesia nostra præclare meritos , sed huic homini propter Virtutem & pietatem cognitam mirifice displices : tandem singulari modo in sanctissimæ memoriæ Virum J. C. ISELIUM , unicum Ornamentum & Lumen Academiæ atque Ecclesiæ ; denique & me , indignum , qui cum summis istis Viris comparetur , in quem solum omnia Acta Conventus nostri , eleganti fane & plane novo Rhetoricæ

---

(\*) Huic præter injustam sui condemnationem , integra Consulta , ut illud de Tyrannide Conventus in alia caussa , ex mera libidine animi affingit : alia ita mutilat pervertitque , ut plene contrarius sensus Lectori exhibeat , quod fit in illo Decreto de W. restituendo.

toricæ tropo , conjiciuntur , nulla plane alia de causa (cum inimicitias privatas nullas unquam exercuerim cum Viro isto) quam quia causam Dei , rogantibus Ven. Collegis , & exigente officio , noluerim in ejus gratiam deferere , aut etiam , quod ille cupide a me exigebat aut expectabat , perfidiose prodere . Vidimus ingentem quidem Struem & confarcinationem Var. Lection. & præprimis Notarum , quibus oculi imperitorum magna specie raræ , sed falsæ & futilis Eruditionis facile possent præstringi : sed sciunt , quibus Var. has Lect. datum est paullo propius intueri , paucissimas esse , easque vel ipso fatente , non magnum usum præstare , si MILLII & aliorum Collectiones inde detrahas ; ne dicam ejus fidem vel in his paucis , ita laborare , ut sane ei tuto inniti ab omni prudentia fit repulsum : in incondita illa mole Notarum , quid invenis , præter immannia plagia , per quæ integra folia , integros Libros , ut factum in EIGHTFOOTO , PRICÆO , aliis , non nominatis Authoribus , exscripsit ; ne dicam de innumeris recentioribus , qui ex Authoribus Hebr. Lat. in primis Græcis N. T. illustrare conati sunt : adde his ingentem farraginem Notarum puerilium , jejunarum , trivialium , putidarum , eruditio homine indignarum : prolixarum ad naufragium in rebus evidentissimis , & nonnisi a stolido in dubium vocatis ; contrà , brevissimarum aut nullarum , ubi opus erat luce annotationum , ut jam permulti Viri docti indicarunt : sed & adde in his Notis summam impietatem , perfidiam & passim atræ loligianis succum meramque æruginem . Cum enim celsus hic genius ex supremo solio Grammaticæ suæ non-

nunquam descendere haud gravetur , & eousque se demittere , ut vel ad ipsam Theologiam accedat , quid non audit , quas non strages dat ? quomodo effata Sanctissimum , atque ipsius Servatoris à sensu spirituali ad sensum carnalem summo studio pertrahit ? quomodo veram Divinitatem ejusdem ex omnibus locis N. T. modo per crisin variæ lectionis , modo per coactam & violentem explicationem ita ejicit , ut ne vestigium quidem veræ , non Arianæ , non Socinianæ , Divinitatis ejus relinquatur ; mitto alia quamplurima . Sed ubi fuit prudentia hominis , ubi candor ? Conventum nostrum criminis falsi accusat , ac si ei grandem injuriam , tribuendo ei sententias nunquam ab eo profectas , intulisset ; & tamen has ipfas sententias in hoc ipso Libro , quem pro vindiciis Orthodoxiæ suæ nobis exhibet , legere est , nonnunquam iisdem verbis , quibus olim in Collegiis usus fuerat ; alias paullo tectius cum aliqua obscuritate , quæ tamen adhibita face Excerptorum institutionis ejus facillime dissipatur .

Hæc aliaque complura ejusdem indolis serio ad annum revocantibus nobis , indictus est à Ven. D. Præside nostro , Antistite , Conventus : Conventus , inquam , legitimus , integer , cuiusmodi inde ab anno 1529. ad hoc tempus , ex Pastoribus Urbis & Professoribus Theol. omnibus constans , diversus quidem Personis , me solo excepto , quem veteribus Collegis unum superstitem esse voluit Deus ; sed idem ex Successionis Ordine , & Zelo pro Gloria D E I. Hic in isto rerum statu , quid nobis agendum , in timore Domini cum cura deliberavit , num res ad Ampl.

Ma-

Magistratum, qui solenniter nos nec Actores nec Adversarios hominis esse, sed consultos ab eo & Confiliarios in rebus Religionis pronunciaverat, benigne etiam addita specialis tutelæ & patrocinii promissione, esset deferenda; num alia ratio oppressæ veritati & innocentiae consulendi & auxiliandi adhibenda. Re diligenter expensa, omnium fine exceptione suffragiis, decretum, quamvis de Æquitate & Justitia Magistratus nihil non favoris expectare par sit, si intelligeret, quomodo Sycophanta contra expressum Ejus interdictum, N. T. Editionem, sed longe deteriorem, quam unquam antea aut Illi aut nobis indicaverat, in lucem emiserit; quam atrocibus & foedis calumniis & Ipsum, & nos, & Viros omnis generis longe præstantissimos partim antiquis & toties jam profligatis, partim novis ex improbo ingenio mere conflictis prosciderit, eidemque Magistratui immani ausu integra S. C. affinxerit: nihilominus satius esse, prima aggressione, Scripto publico, Scripta ejus infamia breviter refellere, & moderatione ea uti, utut nullam ipse servaverit, quæ Theologos Christ. decet; nec tamen zelo, pietate & veritate destituta sit: addidi ego, ut ea quæ de me, meo officio, meis cum ipso privatim habitis sermonibus &c. mendaciter nugatus esset, sejungerent ab iis, quæ ad Conventum pertinent, utut, sub mea plerumque Persona dicta, non magis me, immo saepius minus respiciant, quam quemlibet alium ex Conventu.

Dictum factum: Suscepit hanc Provinciam, à Conv. impositam, Vir quidam Ven. & membrum hujus Conv. feliciterque executus est: nihil restabat, quam ut Scriptum  
ejus

ejus Conv. prælegeretur, & plane ad mentem ejus exascia-  
retur: verum inciderunt ea tempora, quibus, occupato  
Conv. aliis negotiis in primis ob Separatismum nonnul-  
lorum, huic rei pro merito vacare haud quaquam poterat.  
Noli credere V. R. factum hoc esse ex negligentia aut  
defectu Zeli in caufsa justissima, aut studio otii quietisque,  
aut metu hominum: resumetur istud negotium, quando  
Ven. Præsidi, per concatenatos labores facultas nos con-  
vocandi concedetur.

Dum ita moram trahit, afferatur ad nos Oratio Tua  
V. R. in laudem defuncti *Wetstenii* habita: hic nemo non  
vel mediocriter rerum nostrarum gnarus, mirari Pruden-  
tiam Tuam; ubi vidit, prolixè hic iterari veteres toties  
jam profligatas calumnias, mendacia, strophas & furores  
cum additione novarum: eā confidentia, ac si hæc extra  
omnem Controversiæ aleam, sole meridiano essent clario-  
ra: meque ita per universam de pingi orationem, quasi uni-  
cus aut præcipuus negotii instigator & hominis accusator  
fuissem. Habet quidem & Conventus, habet Magistratus  
noster, quod jure succenseat, & tanquam de insignita in-  
juria Tecum expostulet; præcipua tamen culpa & accu-  
satio in me vertitur: hæcque universa per orbem spargun-  
tur intenso studio, ut improbe graffans calumnia, nobis  
interea silentibus, ad quos istud negotium peculiari modo  
spectat, & qui soli universam rei feriem penitus cognoscimus,  
ubique patulis auribus excipiatur, veritate tan-  
tum non plane oppressa. Hæc me moverunt, quamvis  
omni-

omnino invitum, ut laboranti Veritati suppetias quales-  
cunque, simulque Conventui Veteri, tam præclaris Vi-  
ris constanti, ferrem: dum interim melius auxilium af-  
feret jam olim promissa Editio Actor. *W.* latino idiomate  
exarata una cum historia fida totius rei, ab initio ad fi-  
nem usque decurrente; in qua jamjam curæ nostræ occu-  
pantur.

Animus non est singula in Oratione Tua obvia  
 σφάλματα ὀξονυχίζειν, nedum prolixa refutatione cumu-  
 lare: quod ut facillimum, ita infinitum foret. Omittam  
 etiam totum illud, quod de natalibus, studiis &c. ho-  
 minis refers: quod, ut multis falsis perspersum, lima om-  
 nino indiget: cuius vel unicum hoc habeto exemplum.  
*P.* 10. dicens, *Anno ætatis 11. ad Lection. publicas promotum:*  
 dein, *An. 1710. seu ætatis 17. in numerum V. D. Ministr.*  
*receptum;* quâ occasione Dissertationem à se conscriptam, *de*  
*variis N. T. Lect. sub meo Præfido defenderit:* atqui fucum  
 hic factum Lectori diminutione numerorum omnium, in  
 Tua Oratione expressorum, & pro 11. annis 13, pro  
 17. annis 20, ponendos fuisse, vel hæc ipsa Tua verba  
 clarissime produnt: cum hæc à Te commemorata Differ-  
 tatio me Præside habita demum An. 1713. i. e. ætatis  
 vigesimo à nativitate, pro consequendo demum Ministe-  
 rio, in lucem exiverit: nonne hic vides perspicue, *V. C.*  
 palpum Tibi ab homine gloriofo obtrusum, ut portentum  
 ingenii, & supra omnes Socios Studiorum longissime,  
 triennio integro, eminens, exhiberetur, rarissimo aut nul-  
 lo apud nos exemplo: cum & hos ejus Sodales non mi-

B

nori

nori præstantiâ ingenii, & eruditione præditos, quosdam etiam, in Philosophia & Mathesi longe eo superiores, partim audiverimus ab ejus Præceptoribus, partim ipsi in Examine pro Ministerio, illam ejus disputationem proxime consequuto, deprehenderimus.

Accedo paullo proprius ad ipsum Negotium, multis foliis insequentibus à Te enarratum. P. 14. & seq. refers, quomodo se in Ministerio suo apud exterorū gesserit, & quid ei cum Cel. BENTLEIO intercesserit. In munere, aīs, *Morum Doctrinam, non Quæstiones Theolog. tractasse*, & graviter in illos Theologos invehēris, qui morum doctrinæ jungendam existimant Dogmatum Evangelicorum etiam a multis impugnatorum solidam expositionem: ita enim hoc capiunt illi à Te impugnati Theologi. Quam bene hæc à Te dicantur, nunc non discutio: id solum hic observo, veram causam *Tractationis merè moralis doctrinæ* istius hominis Te vel ignorasse, vel reticuisse: quid enim ad Sylvam Ducis cum hoc homine evenerit, si non ex propinquitate Urbis per Te ipsum, certe cognoscere potuisses ex Literis Rev. D. REUTLINGERI, tunc temporis ibidem Ministri, socii & amici hujus hominis, ad Vener. D. Antistitem Tigurinum 1730. datis, postea ad nos missis, quarum apographum exhibut extat p. 306. Actor. Wetsten. ubi narrat, cum plurima heterodoxa, Socinianis aut etiam Deistis pergrata Dogmata sparissit, rem eo devenisse, ut à Rev. Ministeriis, Gallico & Germanico, ad causam dicendam citari debuerit, gravi sententiā

tentiâ in ipsum decretâ: quod judicium non evasurus fuisset, nisi intercessisset Vocatio Basil. ad Diaconatum Communem. Nihil nobis ante has Literas R. de negotio innotuerat: nihil etiam Viris illis Grav. & Ven. qui ipsum ad hanc Spartam ornandam Basileam vocaverant; quique si vel minimum hac de re Illis suboluisset, pro sua pietate & Religionis studio, nullâ non curâ ab illa hunc Sparta amoliti fuissent: in primis cum tot aliis vitiis per Parentis prensationes obnoxia fuerit vocatio, ut propterea, missa in Cony. solenni Protestationis formula, noluerit ei interesse Ven. Senior noster S. WERENFELSIUS..

Sed & quod de Cel. BENTLEI sermonibus cum ipso habitis refers, ejusmodi est, ut cum narratione ex ipsius W. ore à Rev. REUTLINGERO hausta, conferri omnino debuisset: qua fide in Cel. hunc suum Patronum & Fautorem, defraudando Ipsum & emungendo non sane levi pecuniæ summa 50. Librar. Angl. usus fuerit, ex his ipsis Literis, discere promptum fuisset. Dignæ fane hæ Literæ Rev. REUTL. ab amico, collega, perfamiliari, cum quo nullam unquam inimicitiam exercuit, quique ut totius rei ceu præsens, probe gnarus, sic nonnisi conscientiæ & veritatis stimulo, ut hæc Ven. Viro perscriberet, permotus fuit, ut diligenter exutiantur: inde simul clare patebit, jam eo tempore, antequam muneri Basiliensi admovereatur, hominem, hæc eadem perfida consilia de N. T. edendo, & pervertenda doctrina Christiana, longe demum postea a Conv. in lucem publicam clare prolata, animo agitasse.

Pag. 17. & seq. occurunt nonnisi manifeste falsa, putida mendacia, improbae calumniæ : quibus flosculis, à Sycophanta illo Tibi dictatis, ne una quidem Periodus aut Paragraphus vacat. Incipit: *novennio integro placide & quiete munere Diacon. functus fuit*: omnino: si per istud intelligas, publice a nemine de doctrina coram Magistratu litem ei esse motam: si vero indicare vis, ab omnibus doctrinam ejus, tum in Concionibus, tum sermonibus, sparsam, esse approbatam; scito, innumeros semper intra hoc tempus, ejus sermonibus profanis, ad merum contemtum omnis sinceræ Religionis & Pietatis spectantibus, mirifice offensos: nonnullos vero vel ex ipsis familiaribus & cognatis ejus per Conciones, ineptiis, aut etiam impietatibus refertas, ita irritatos, ut illum amplius audire, fugientes ejus societatem, detrectaverint. Ut taceam jam monelam Conventus de mutilatis & corruptis hymnis Ecclesiasticis.

Quæ sequuntur, illo duce, à Te scripta, atroces tantum continent calumnias, tanquam ex tripode contra omnem Veri Lucem effusas. *A nonnullis Ecclesiasticis tunc ei lis mota fuit &c.* Fundamentum hoc est omnium calumniarum, in Oratione Tua, in Proleg. N. T., cuncta pererrans, & tamen ita futile, ita obtritum, ut ne voculam quidem inesse Veri, vel ex ipso primo Scripto *Thrasonis*, Ampl. XIII. Viror. Collegio exhibito, pag. 1. *Actorum*, non plane cœco, manifestum sit. Si per nonnullos Ecclesiasticos intelligas Conventum nostrum, qui post novennium litem ei primum moverit, à calumniia liberari nequis. Quæso enim ex Te, num Conventus tum primum litem ei intendit apud Magistrat-

gistratum autem alios? Immo vero ab hoc ipse hic calumniator nos absolvit: dum in Comitiis Helveticis de ejus doctrina, & Edit. N. T. querelas auditas, & ut res ad Magistratum Basiliensem per Ampl. nostrae Urbis Legatos deferretur, cum cura injunctum, agnoscere cogitur. Si vero per Ecclesiastas intelligas alios quosdam, diversos à Conventu, aut etiam Membra quædam particularia Conv., in eandem incurris criminacionem, nisi prius perspicue docueris hæc tria: *primo*, quinam hi accusatores fuerint: *dein*, quod non merum rei indicium; ut amico amicus follet nova referre, fuerit, sed proprie litem ei ad Judicem moverint: *tandem* Illos præter officium atque injuste hoc fecisse. Cum nihil horum unquam præstare queas, patere, quæso, *V. R.*, ut Tibi hic aliquatenus succurrat in perdifficili casu. Ita sese gessit, diu antequam caussa apud Magistratum agitaretur, homo noster, ut gloriæ sibi duceret, sententias suas, de Religione, de N. T., apud omnis generis homines, cives & peregrinos, in circulis, in triviis, in compotationibus, mira impudentia, quam nonnullis candorem & sinceritatem animi vocare placuit, effundere; nec ab exteris & peregrinis in colloquiis illum hic abstinuisse, exempla plurima in Actis nostris proposita, quemlibet condocere possunt. Mirumne ergo & parum verisimile cuiam videatur, in alias regiones, in primis Helveticas vicinas, famam rei sparsam, ad aures horum Magistratum pervenisse; qui cura Religionis, quam summam semper habuere, impulsu, monendum, ut diligentius in rem inquirerent, nostrum Magistratum pro sua erga illum chari-

tate, censuere. Vides *V. R.* quomodo hoc negotium, quod Tu, Litem primum motam, appellas, ab summis primiarum Helvetiæ Civitatum Magistratibus ad nostrum Magistratum, ab hoc tandem, postquam aliquoties in variis Sessionibus Collegii XIII. Viralis hic noster auditus, ejus defensio excussa, scripta ejus apologia ad Ill. Helvetiæ Magistratus missa, Conventu nostro omnium istorum ignaro, fuisset, tandem ad Conventum Theol. & Pastorum, nequaquam acquiescentibus Magistratibus illis summis, devenerit, mandatumque a Magistratu nostro Ampl. huic nostro Collegio, ut tam in doctrinam *W.* quam conatum de Edit. N. T. diligenter inquireremus, eaque de caussa, ipsum ad Conv. citatum accurate de omnibus interrogaremus.

Si tam parum hæc in Conv. nostrum conveniunt, multo minus mihi, homini suis Musis cantanti, nullis negotiis politis unquam implicito, Superiorum limina minime terenti, ut omnibus hic notum est, aptari queunt. Et tamen mox ead. & seq. pag. me præcipuum hujus litis auctorem, me ex amico multorum annorum, inimicum acerrimum, me ex hortatore vehementissimo ad Edition. T. N. dehortatorem subitanetum, nulla hujus meæ mutationis redditâ ratione, facis. Quid his subfit veri, paucis accipe, *V. R.*, & quam egregie ab homine nequam Tibi fit illusum, percipe. Aliquot jam septimanis res hæc agitabatur apud Senatum XIII Viralem, apologia rei excussa, missa ad Superiorum Cantonum Magistratus cum contemtu rejecta, antequam vel fando quic-

quicquam hujus negotii vel accusationis, jam per Ur-  
bem, clam tamen, serpentis, ad meas pervenisset aures:  
cum primum ejus indicium, ad rei novitatem mihi percul-  
so, fecit ejus Cognatus J. R. Wetstenius, nunc Ecclesiæ Brat-  
telensis Minister, & Capituli Dioeces. Decanus meritissi-  
mus: & vix fidem invenit, donec ipsa ab Senatu missa ad  
Conventum apologia ejus, quæ primum in Actis nostris  
tenet locum, cum mandato, ut quantocyus hominem ad  
Conv. citatum de omnibus Religionis Capitibus & Editio-  
ne N. T. examinaremus, & responsum de iis Magistratui  
exhiberemus, fidem fecit.

Amicum homini me per multos annos fuisse, non infitior,  
ut solet bonis ingeniis Præceptor favere, eaque fovere: si velis:  
etiam familiarius cum ipso vixisse, quam cum aliis ejus con-  
discipulis, non abnuo: nec tamen ob ingenii indolisque supra  
illos præstantiam & eruditionis solidæ copiam, verum partim  
ob viciniam, qua factum, ut tantum non quotidie me adiret,  
partim ob cognitionem, partim tandem ob singulare stu-  
dium, quo in me ferri videbatur. Interea deprehendi in eo  
magis magisque levitatem animi incredibilem, opinionem de  
seipso immensam, inclatescendi ardorem supra quod dici  
queat, cunctis obtrectandi, in primis si virtute, pietate, erudi-  
tione supra vulgus eminerent, studium insanum, & quod  
præprimis dolebat, cor a sincera pietate ita remotum, ut  
nullum fere non corrupti & ab interna pietate abhorrentis  
animi, in sermonibus apud me indicium de se daret, & in  
publico vita moresque probro non carentes, censuram &  
indignationem multorum honestorum & piorum acrem:  
move-

moverent. Tali animi constitutione, tali vitæ ratione cum  
uteretur, mirumne, in perversas etiam de Religione & san-  
ctissimis ejus dogmatibus sententias incidisse! O quæ ego  
ex ore ejus improba, malitiosa, ab omni reverentia Nu-  
minis repulsa, in sinum meum effusa, non sine horrore  
audivi, nunquam a me publicata, nunquam publicanda:  
frequenter equidem hominem & amicissime corripui, mo-  
nuique de moribus & Religione; de sententiis ejus in Re-  
ligione cum eo acriter confixi, nullumque non, quamvis  
blando sermone, lapidem movi, ut ipsum ad frugem &  
mentem meliorem perducerem; incassum omnia: tantum  
enim abfuit, ut sensus moresque vel paululum immutaret,  
ut potius indies deterior evaderet, & perfida fronte im-  
pudenter in publico se ostentaret.

En Tibi R. V. vel unicum hujus specimen, quod in publi-  
cam lucem sane non produxissem, nisi ipse id primus protu-  
lisset. Inter alia Capita Religionis non semel de somno ani-  
marum post mortem, absque sensu ullo aut conscientia ad  
resurrectionem duraturo, quem ille acerrime propugnaverat,  
ego vero multis adductis tum ratiociniis, tum præcipue locis  
S. Scripturæ studiose impugnabam, disceptabamus. Conti-  
git aliquando, ut præcipue urgens hominem ex Ep. ad Phi-  
lipp. Cap. 1:23. præcluderem ei cuncta effugia, & ad incitas,  
immo manifeste impios sermones ipsum adigerem; cum  
tamen nihil apud eum efficerem, rogavi, ut si nondum  
mentem queat mutare, silentium, hoc de Capite, interea  
apud alios servaret, & sibi in primis caveret, ne publice  
in Concione faltem id proponeret: id scandalum magnum  
datu-

daturum, & apud cœtum odium aut contemptum paritum; ex professo hanc addideram rationem, quia abunde mihi constiterat, apud illum rationes Theologicas ex Religione desumptas, nihil: ex commodis, utilitate carnali, emolumentis temporalibus petitas, omnia valere; videbatur silentium polliceri. Quid fit? Proxima dominica pro more meo Templum ingredior; audio cum cœtu *V.* nostrum, ad quem vices *de Resurrectione Mortuorum* agendi pervenerant, non de hoc Capite nisi obiter differentem, sed de statu intermedio animarum inter mortem & Resurrectionem amplissime per integrum Concionem sermocinantem, ubi, cum multis verbis somnum animarum, refutatis etiam contrariæ sententiæ rationibus, & invectus pro more in miseros *Scholasticos*, i. e. Theologos cunctos, tuitus esset; tandem in compendium & summam Orationem contraxit, relicturus in animis auditorum aculeum & riddendi materiam, dicens: quæstionem hanc eo redire: an mortui essent mortui, an vero viverent? Paucis interjectis diebus, cum homo pro solita sua impudentia rufus me adiisset, non potui non perfidiam, levitatem & imprudentiam gravibus verbis ei exprobrare, ad quæ ille non sine cachinno ludicre regessit, voluisse se periculum facere & re ipsa experiri, num ita ingrata aut etiam odiosa esset auditoribus ea de somno animarum doctrina, ut nuper jactaverim; neminem plane ex cœtu sibi occurrisse, qui displicentiam aut sui odium ob hæc præ se tulerit. Habes *V. R.* characterem & indolem hominis: centena exempla alia, etiam atrociora his adjicere, in promptu esset, nisi si

lentium mihi ipsi de iis, quæ inter nos intra privatos parietes dicta sunt, studiose imperasse. Cum indies fero-  
cia, impudentia & impietas hominis non obstantibus ami-  
cis meis adhortationibus, & frequentibus nostris de doctri-  
na disceptationibus, incrementa caperet; haud quaquam  
miraberis V. R. me tandem hujus molestæ, sed prorsus ina-  
nis operæ pertæsum, coactum fuisse hunc tot vitiis animi  
& vitæ laborantem ægrotum alii Æsculapio peritiori curan-  
dum relinquere, aut potius vero Medico animarum D. O.  
M. piis precibus commendare. Sensit jam diu ante ejus  
caussam publice actam, me in amore frigidorem, & ta-  
men frequentibus suis visitationibus, molestus esse non de-  
fiit, usque dum à Magistratu caussam illam suscipere jussi  
fumus.

Tantum vero abest, ut, quod suggeris, litis author, aut  
instigator, aut accusator coram Magistratu fuerim, ut ne  
quidem unquam testis voluerim suscipere partes. Cum jam  
ad Conv. negotium à Magistratu esset delatum, flagitan-  
tibus à me Collegis Ven. ut quæ de hujus hominis Reli-  
gione five ex privatis sermonibus, five ex auditis concio-  
nibus mihi constarent, exponerem, prorsus denegavi: ne-  
fas esse dicens, propalare, quæ intra lares privatos cum  
ipso, spe emendationis, agitata fuerint: quæ vero publice  
pro Concione aut alibi effutierit, æque aliis ac mihi co-  
gnita esse: haudquaquam convenire, ut Judicis ego simul  
cum Illis partes, & testis apud Illos aut Magistratum age-  
rem: si quid vel ex examine cum ipso suscipiendo, vel ex  
testibus

testibus aliis innotesceret, veritati me cum ipsis non defuturum: nec, etiam urgentibus illis, quicquam hic concessi, abitum potius ex Conventu minatus, quam ut duabus hic Personis indutus appaream. Acquievere Viri Ven. rogantes, meam cum ipsis pro Officii ratione ut jungenrem operam: quod per Conscientiam, Officium & Summi Magistratus Mandatum defugere non licuit.

Quod adjicis, quod saepius, & ut ille loquitur, acerrime illum ad Edit. N. T. extimularim, item quod totius Consilii participem me fecerit, eundem quem superiora, candoris & Veritatis servant tenorem. Nunquam ego, ne semel quidem, ad Edit. N. T. hominem exhortatus sum, gnarus quid hominis esset, quam fraudulentus, versipellis, ingenti sui opinione tumidus, aliorum se centies præstantiorum contemptor insectatorque acerrimus, ut Erasmi, Bezæ, Stephanorum, Millii &c. ne addam, quæ de gravissimis Religionis dogmatis subruendis evertendisque jam tum animo moliebatur. Quid vero opus erat, infano hominem inclarescendi, turbandi, atque aliis insultandi studio flagrantem, sua sponte atque incitatissime currentem, novis subjectis stimulis impellere frœno non calcaribus indigentem? Atque hoc ipsum est, quod egi: cum enim illum, non magnis adhuc instructum subsidiis, à proposito avertere plane non possem, auctor ei fueram, ut quas ipse ex variis bonæ notæ MSS. hucusque nondum publicatas, observasset variantes Lectiones alicujus usus, exiguo profecto comprehendens Volumine, fide optimâ, sive cum Textu Græco recepto, sive absque

C 2 illo,

illo, in lucem ederet, more aliorum Collectorum V. L. relictā *νόστη* Lectorum judicio, aut, si ab hoc temperare sibi nequiret, breviter, modeste, sine partium studio, siue insectatione Virorum præclarorum. Diplicuit vehementer istud Confilium homini, ita sibi ereptam materiam Ostentationis & Capitibus Virorum præcellentium, immo ipsi orthodoxæ, insultandi, ægre ferenti. Nec tamen utcunque mihi de Variantibus Lectionibus quotidie aures obtunderet, ab hoc consilio me dimoveri passus sum.

De propositi communicatione, ita habe: de vera & genuina constitutione operis, quod agitabat animo, ne semel quidem aliquid certi, veri, sinceri mihi indicasse, sed prout erat levissimi & fraudulenti ingenii, modo hoc, modo aliud effutiisse, ita ut mens ejus vera non nisi per conjecturas esset divinanda: mihi si detrectes fidem adhibere, faltem Tuo hic crede Oraculo: in superciliosa illa Ampl. Senatui XIII Virorum exhibita Apologia quam legere est p. 3. Actor. *Wetst.* hæc audacter inculcat: *ne-mo mortalium in universa Helvetia prodire ausit, qui veram constitutionem & deformationem hujus Operis; nedium executionem sibi cognitam esse, gloriari queat.* Ut veram Operis formam mihi nunquam indicavit, ita ne quidem, quod vel quid ejus ad Bibliopolas Amstelod. miserit, mihi significare voluit.

Quæ sequuntur p. 18. paris sunt elegantiae: si intellegas nos ex inimicitia, quæ nulla inter nos & illum unquam intercessit, aut nostra sponte rem ad Magistratum pri-

primos detulisse, egregie falleris & fallis. Ex superius expositis, sed & ex prima nostra Scriptione ad Magistratum p. 15. Actor. *Wetst.* facile intelligis, non nos rem primos ad Magistratum, sed Magistratum primum ad nos, totius rei ignaros, detulisse: non libellum supplicem, ut ait, ei obtulisse de Socinianismum redolente Edit. N. T., sed responsum petenti à nobis Magistratui, partim de universa ejus doctrina, partim de Editione N. T. ex Examine cum ipso ad ejus mandatum suscepto, & excerptis discipulorum, dedit: lege, si placet, & erubescere.

Graviter dein de nobis conquereris, quod ausi fuerimus repetere Phrasin ab Illustr. Legat. Helvetiorum primum usurpatam, & sic per Magistratum nostrum ad nos derivatam: *redolere hoc N. T. Socinianismum*; quasi, ut lepide ait, Codices Græci, aut Patres antiqui, aut Versiones vetustæ ante Socinum natum procuratae, Socinianismum redolerent. *Egregium inventum Theolog.* Serione hæc, an per jocum *V. R.*? Tibine primo inventori gloria putidæ cavillationis debetur, an ad delirantem tuum Magistrum ex origine referenda? Ita ergo non in referendis duntaxat *Factis* mendacibus ubique Tibi obrepshit, Vir ad fallendum totus compositus, sed & ratiocinia sua puerilia, futilia, ceu totidem Oracula vel faltem Demonstrationes apodicticas sua radiantes luce credulo imposuit. Quæsto Te, *V. R.*, si quis eam sibi sumat libertatem, ut ex omnibus Manuscriptis Græcis N. T. pro lubitu arripiat lectio-nes, ex hoc istam, ex alio aliam, ex affirmativa faciat negativam & vice versa, & voces extantes in diversis MSS.

C 3

fed

sed aliter junctas ipse suo modo componat, atque alias Criticæ artes adhibeat: an hic nequeat Divinitatem veram Servatoris ex universo N. T. ejicere, atque ita non tantum N. T. cedere redolens Socinianismum, sed exhibens Socinianismum ipsum: in primis, si, quod Tu h̄ic ei concedis, & Patres omnes, & Versiones priscæ Ecclesiæ in consilium adhibere ad formandum Textum velit. Quinimmo non merum Socinianismum, verum quocunque dogma aliud pestiferum & exitiale ista sua improba diligentia, per commodam variantium dispositionem & sparsionem, Evangelio inferre posset, utut hæ Variantes in vetustis Codicibus, Patribus, dudum ante Socinum, aut ipsum *W.* natum extantes, seorsim reperiantur.

*Prolegomenis*, ais porro p. 20. *Basileam allatis nova accusatio apud Senatum instituta est.* Vis indicare responsum nostrum secundum Magistratui petenti datum de ejus N. T. quod occurrit p. 48. *Autor. W.* & in quo judicium Conventus de Specimine à *W.* Magistratui exhibito, & à nobis Actis nostris p. 309. inserto exponitur. Verum quid hoc ad impressa Prolegomena, de quibus ne γεν̄ quidem ulli nostrū innotuerat: cum Ille subdole eorum impressionem non modo nos, sed & ipsum Magistratum, summo studio, quid esset de ejus Opere impressum, interrogantem, celaverit: satius fuisset ulcus hoc non attingere, ne probrum ejus universo exponere Orbi cogeremur: quam enim turpiter se dederit in illo Ampl. Virorum XIII. confessu, ad quem & noster Conventus evocatus fuerat, quam acri censura & correptione ipsius erga ipsum Magistratum irreverentiam, fraudes, levitates perstrinxerit, hominemque totum

tum in ruborem dederit Graviss. Consul, Cognatus ejus, norunt non ego modo, sed qui superstites sunt, ex illo Ampl. Ordine, Gravissimi Viri: meretur omnino Historia hujus rei, ut pro sua dignitate plenius & exactius alibi enarretur: cum vel unicum hoc factum & fraudulentum mendaxque, arrogantissimum simul & impudentissimum ingenium hominis luce meridiana clarus exhibeat, non sine cachinnis lectorum, & contentu mirifico hominis ad omnia parati legendum. Si ergo nobis tum nihil prorsus, si nihil Magistratui de impressione Prolegomen. constitit, quomodo à nobis tum Magistratus judicium de illis postulare, nos responsum reddere potuimus.

Ipsam dein pag. eadem Justitiam Caussæ propius inspicis, exponens 1º. Capita accusationis. 2º. Testes. 3º. Judices. Duo consideras in primo, & periculum ex editione N. T. & dissensum à quibusdam in formulis loquendi de Personarum divinarum distinctione: ad illud observas, non quærendum quid in Textu recepto legatur, sed quid legendum. Quasi vero quisquam hoc ignoret: da mihi vel unum Theologum aut Criticum, qui statuerit, lectionem receptam ita in omnibus cum autographo Apostolorum convenire, ut ne in minimo apiculo ab illo discedat: i. e. lectionem receptam per omnia esse infallibilem. Nos certe jam in primo nostro Scripto ad Magistratum p. 24. *Autor. Wetst.* ultro professi sumus, utut in genere bene se habeat recepta Editio, non deesse tamen, quæ emendatricem flagitant aut admittant manum. Si vel primum non valde prolixum Scriptum Conventus de hac re inspicere haud  
gra-

gravatus fuisses, absolvisses nos ab hac puerili calumnia : & quis tum fuerit inter nos & illum verus quæstionis stans , didicisses , ut non opus fuerit cum umbra luctari.

Alterum quod ais , illum nonnisi in formulis loquendi de S. Trinitate , a quibusdam Ecclesiastis incondite & confuse de hoc mysterio verba facientibus seorsim abiisse , ejusmodi est , ut confitum homini impudenti , nihil prorsus Te de vera accusatione cognovisse , manifestum sit. Si vel fugitivis oculis primum breve , aut longius secundum Scriptum Conventus perlustrasses , de aliis gravissimis Religionis Capitibus, de ipsa Deitate Christi & S. Spiritus, non de modis loquendi ; de auctoritate & Θεοπνευσίᾳ S. Scriptorum , non de receptæ Editionis aut Versionis alicujus infallibilitate ; de Somno animarum post mortem ad diem Judicii ; non, ut Tu perridicule , de dupli animarum annihilatione : & aliis innumeris maxime arduis sententiis , agi vidisses. De modis & formulis loquendi de Trinitate , prorsus non disceptabatur : si nonnulli , quod tamen nunquam probasti , incommode in exprimendo hoc mysterio phrasibus , sed bono sensu acceptis , usi sunt ; si in transitu atque obiter , forte etiam lapsu linguae tantummodo voculam non optimam adhibuere , qui tamen ex professo de re verba facientes accurate omnem Sabellianismum impugnatunt : num illico tanquam Sabellianismi Patroni , in cœtu pro Concione à Ministro simplici Diacono publice sunt traducendi & prolixè refutandi ? Itane subito totus hic est immutatus Diaconus noster ab eo , quem se antea gessit ad Sylvam Ducis , ubi , missis omnibus quæstionibus Theolog. à controversiis

versis circa dogmata per omnia quam diligentissime sibi cavit, *Conciones Ethicas* solum utiles apud milites esse persuasus: hic vero per longum tempus ministerii sui perpetuo pro concionibus agitare controversias innumeras, contra Sabellianistas, contra Reformatores & alios, immo contra meras phrases Collegarum suorum sine ullo heterodoxias periculo, suarum duxit esse partium. Tandem si a censura & refutatione Collegarum suorum plane sibi temperare nequiiit, num aliter Sabellianismus expugnari non potuit, quam per purum putum Arianismum, quem tam diligenter juvenibus, cerdonibus, ut Parens ejus in famosa Epistola, gregem ejus appellat, summoque studio inculcabat. Hanc ei perpetuo sedisse animo sententiam, inter Sabellianismum & Arianismum nihil esse medii, ut vel hic vel ille sit eligendus, non equidem nescio, an vero hæc sit sententia N. T. & Ecclesiæ universæ, dispiciant, qui non peponem pro corde habent. Nonne & Sabellianismus & Arianismus, ut duo extrema, vitiosa pariter, ab Ecclesia nullo non tempore fuere cum indignatione rejecta?

Accedit 2°. ad *Teſtes*, ubi iterum nihil fani: primo, aīs, nonnisi duos fuiffe, cum plurium jam notata in manib⁹ habuiffemus: fassum esse primum, se mentem Præceptoris non recte percepisse: Secundum fuiffe puerum trium idearum. Illud plane falsum, cum magna religione nobis confirmaverit, se maximo studio & attentissima mente sermonem Magistri excepisse, quod & res ipsa docuit: cum vel hujus solius annotationes ad convictionem potuissent sufficere: hoc, de puero trium idearum, quid significet,

D

Tibi

Tibi exputandum relinquo : hic enim Basileæ nemo ita acutus invenitur , qui id intelligat.

Dein ais accessisse 4. Studiosorum notata : atqui pluriūm habuimus. Omittis autem & Examen *W.* a nobis mandato Magistratus suscepsum , & Testes juratos ex auditoribus , & Testimonia exterorum , aliaque rem liquido conficientia : eorum vero loco , mutila & corrupta fuisse notata , nemini ostensa , testes ejus non auditos cum insigni calumnia , confidenter tamen , afferis.

Nihil horum & seq. in Scriptis nostris non ita revicatum & contritum jam ante vicennium est , ut pudorem omnem exuat necesse sit ei , qui tanto temporis intervallo post , calumniam nude repetere absque ulla refutatione argumentorum nostrorum , ausus fuerit. Tibi *V. R.* si leviter duntaxat placuisse inspicere , Scriptum nostrum secundum *p. 1.* aut tertium *p. 427.* Magistratui exhibita , in quorum primo ipsa Capita Tractationis *p. 2.* Tibi viam monstrassent , aut tandem , si brevitati studuisses , quod diximus *p. 8.* in *Epiſt. Apol. Conv. ad Helvetios 1734. edita* , nullus dubito , quin longe aliter sensurus fuisses. Accessit tandem cunctis a nobis olim productis Testibus longe superior , Vener. Collegis meis τοῖς μακαρίταις equidem ignotus , intra hoc demum biennium prodiens , veracitate & fide alias non valde commendabilis , sed in cauſa hac præ omnibus aliis eminens Testis , ipse nimirum Vir ἀληθεστατος *J. J. W.* Hic in Editione sua *N. T.* ita cauſam nostram mira sedulitate & dexteritate egit & peroravit , ut alium quærere defensorem nobis

nobis haudquaquam necesse fit. Supra vicennium enim quamvis nos calumniarum insimulet, idemque in hoc ipso Libro agat, tantum tamen nobis favet, ut præcipua & gravissima capita pestifera, quæ in eo olim accusabamus, ingenti studio reducat tueaturque: nonnunquam iisdem verbis phrasibusque, quibus in Lectionibus apud suos Studiosos usus fuerat: aliàs paullo comtioribus, prolixioribus & involutioribus, ut fœditas tegeretur, sed eundem non ignavo & stupido Lectori sensum exhibentibus: quo referas, quæ de Deitate Christi, de ejus malis pravisque cogitationibus, de potestate Dæmonum in dæmoniacis, de statu animarum à morte &c. plane eadem aut similia occurrunt: clavem profecto porrigunt hæ ipsæ notæ discipulorum, tum in locis a nobis citatis, tum etiam in aliis, ad genuinam intelligentiam ejus Commentarii assequendam: cui fidem facere possumus, & parati sumus exhibitione ipsorum libellorum Studiosorum, qui adhuc integri apud nos, diligenter conservandi, extant. Absolvatur ergo Conventus a calunnia: absolvantur Studiosi a perversa & stupida intelligentia, aut etiam a corruptione voluntaria.

A Testibus progrederis 3º. ad Judices: ita appellas Conventum nostrum Theol. cum tamen proprio dictuſ Ju-dex non fuerit alius, quam summus Magistratus, qui diligentissime per integri fere anni tempus, expensis omnibus rationibus, quæ ejus causam aut juvarent, aut infringerent, auditio fæpissime homine, auditis etiam declarationibus nostris, tandem hanc caussam solenniter dijudicavit & decidit: nos vero nihil aliud egerimus, quam, ut mandanti

D 2

Magi-

Magistratui parentes , sententiam nostram de illo homine, indicaverimus , a Magistratu vel probandam , vel rejiciendam , vel pro arbitrio mutandam . Si tamen certo modo nos Judices esse velis , non repugno : illud vero ut plane novum & hic inauditum , ita per omnia falsum & futile, Conventum nostrum neutquam legitimum fuisse , plane abnuo. Si talis fuit , quare non olim suo loco & tempore hoc , vivis adhuc magnis illis Viris de Conventu , Magistratui indicavit ? qua ratione totum nostrum Consilium uno ictu prostravisset , & nos apud Illum gravis criminis reos fecisset. Quare demum post vicennium , defunctis plerisque , quibus totum negotium cognitissimum erat , in regione extera , ubi nemo exacte explorare statum rerum Basiliensium , nedum antiquam quorundam Collegiorum constitutionem & jura , solet aut laborat ? Nimirum spargere mendacia & quicquid in buccam venit effutire apud rerum imperitos , qui veritatem rerum nec possunt , nec admidum laborant penitus nosse , calumniæ opportunum & confuetum est. Videamus autem qualem legitimi apud nos Conventus ideam nobis depingat homo ingeniosus. Tibi nempe h̄ic nihil tribuimus. Sive autem jam primum post viginti annorum meditationem , hanc ideam ingenium acutissimum excluderit , sive jam olim in quotidianis compositionibus , ubi de nova formanda Ecclesia & Republica tam curate fuit deliberatum , hæc primum enata fit , nobis perinde est : unum vero omni admiratione dignum , hominem in mero Diaconatu constitutum , tam exacte cognovisse jura & constitutionem Conv. Basil. cui ipse nunquam inter-

interfuit, nisi quando aut tanquam discipulus ad rationem reddendam vitæ, studiorumque eò evocatus, aut tanquam reus flagitii ibidem comparere coactus fuit: Viros autem illos non minus eruditione, quam pietate & meritis eminentissimos, rerumque nostrarum antiquarum æque ac recentium callentissimos, WERENFELSIUM, ISELIUM, GERNLERUM &c. constitutionem veram Conventus vel plane ignorasse vel turpiter dissimulasse.

*Legitimus, ais, Conventus Basil. est Collegium ex 4. Delegatis Senatus, 4. Pastoribus Urbis, 3. Theol. Professoribus constans, jam ab anno 1529.* Hic vero in ipso limine impingis: nemmo hic est Basileæ vel minimum rerum peritus, qui ignoret, ab hoc initio per valde longum tempus nonnisi tres fuisse Senatus Delegatos; per annos autem 120. nonnisi duos nos habuisse Theolog. Professores, per annos dein 60. tres, tandem ab anno 1711. quatuor, cum ipse hic Conventus, approbante Magistratu, me præter morem, extraordinarii nomine, sed cum omnibus juribus, privilegiis & honoribus & sede, gratiâ sine exemplo apud nos & insolita, nullo meo merito, tribus ordinariis adjunctum voluit: a quo tempore quatuor Professores, & quatuor Pastores per annos circiter 25. usque ad obitum duorum Collegarum æquali per omnia autoritate res ecclesiasticas procuravimus, vocatis nonnunquam pro more ad hunc Conventum 4. Deputatis, ubi id aut ordo consuetus aut voluntas specialis Magistratus requirebat. Quam longe hæc vera descriptio Conventus a Tua abit? Collationem Tibi ipsi relinquo. Utut autem Tua descriptio, in Te non

fit mendacium, sed mera congeries falsorum; in Auctore tuo, a crimine turpissimi mendacii absolvi nequit. Homo, omnibus rebus sese perpetuo immiscens, alienarum & politicarum cognitioni magis, quam bonarum Literarum inhians, in curia frequentius quam in Templo verfatus, breviter omnium rerum, præterquam sui veræque sapientiæ, gnarus, nescire non potuit, quod omnes sciunt.

Immo vero, quod bene noverat, dissimulat, & per crassum mendacium exteris fucum facere & Conventui calumniam struere cupiit. Sic argutatur subtilis Sophus: Saltem Lectorem ita vult colligere. Legitimus Conv. inde ab anno 1529. constitit & constare debet 4. Deputatis, 3. Pastor. 3. Professoribus: hic autem, qui ipsum condemnavit, constitit 3. tantum Pastoribus, 4 autem Professoribus, Deputato nullo: ergo fuit illegitimus. Quam vera sit major propositio, ex dictis judica ipse: quasi vero, mutato numero Membrorum Collegii, & quidem ex voluntate Collegii ipsius & Ampl. Ordinis Magistratus, Collegium naturalram suam exuat, & ex legitimo incipiat esse illegitimum.

Si ita argutari fas est, colligam ego, ex principiis ab ipso positis, nos inde a tempore Reformationis nullum unquam habuisse Conventum legitimum: &, quod inde necessario consequitur, omnem omnium nostrorum Ministerorum, etiam *Wetsteniorum* Patris & Filii, vocationem fuisse irritam & illegitimam, quod sic ostendo. Illegitimus fuit Conventus ab anno 1529. ad 1649. per annos 120. quia non erat justus numerus Deputatorum nec Theologorum:  
cum

cum Illi per longum tempus tantum tres , hi per totam annorum seriem , nonnisi duo fuerint . Illegitimus fuit Conventus ab anno 1650. ad annum 1711. per annos circiter 60. In hac periodo equidem justus adfuit numerus & Deputatorum & Theologorum . Sed alio vitio morali labravit , longe detiore , quod profecto longe minus legitimum exhibuit Conv. quam ulla numerorum supputatio : nempe tunc habuimus tres quidem tantum Theologos , sed furiosos : sic enim p. 7. doces , Consulem WETSTEN. *furores Theologorum ita , ut quoad vixerit , non erumperent , compescuisse.* Furiosi isti Theologi fuerunt BUXTORFII , ZWINGERI , BECKII , GERNLERİ , WERENFELSI ; WETSTENIOS enim sine dubio ad hanc classem furiosorum , vel solo nominis amore , non refers . Virorum istorum omni laude Doctrinæ , Pietatis , Moderationis , Zeli & Innocentiæ clarorum , apud nos & omnes bonos equidem memoria in perpetua benedictione est : sed qui illos pro furoribus vix compescendis agitatis habet , pro membris veri & legitimi Conventus habere nequit . In tertia periodo ab anno 1711. nullum fuisse legitimum Conventum , Ipse narras , immo , ut hoc efficeres , totum hoc nugamentum ex fœcundo Authoris cerebro procusum est .

Dices , quidquid sit de superioribus temporibus , hic postremus ab 1711. Conventus , inter legitimos profecto referri ob gravissimas caussas nequit . Audiamus . De numero quaternario Theologorum cavillum , supra profligatum est . *Exclusos esse ex hoc Conventu 4. Delegatos Senatus ,*  
ais .

ais. Quomodo exclusi, qui nunquam inclusi? Nec enim Membra ordinaria unquam fuere: & sexcenti habiti sunt Conventus, inde a primis temporibus, absque Ipsorum præfentia, nedum suffragio. Scimus satis, quibus in negotiis ad hunc Conventum vocandi sint Viri gravissimi, ut monitore hoc *ἀλλοτριεπισκόπῳ* neutiquam indigeamus; nec Ampl. Magistratus, quamdiu caussa hæc acta est, ad anni spatium, vel minimo indicio declaravit, sepe, ut ad Conventum hunc vocarentur, velle; cum tamen omnium nostrum, & sola nomina Theologorum & Pastorum in omnibus Eidem exhibitis Scriptis, subscripta vidisset, nobisque, ut negotium ad finem eodem modo perduceremus, mandasset; additâ etiam pro labore nostro, benevolâ gratiarum actione.

Postea jam homine ab Officio per Magistratum dejecto, cum nescio quæ imaginaria spes restitutionis per amicorum copiam & Magistratus benignitatem illum invasisset, obtinuit ab hoc, ut denuo audiretur a Conventu & nova ejus documenta expenderentur, Præsentibus Delegatis Senatus, & hic obsequium Magistratui exhibuit Conventus: seorsim tamen a nobis abeunte Ven. WERENFELSI, qui arbitrabatur, semel decisâ lite, non amplius audiendum hominem, æternam fore contentionem, si denuò aures rugivendulo præbeamus, cauſatus: auditus homo a nobis in Illorum præfentia, cum vellet Orthodoxiam suam, succinctus ingenti canistro librorum, probare per aliquot Sessiones, ita a Conv. quamvis perhumano fermone, profligata est stultitia & impudentia hominis, ut non sine rubore & confusione discederet: & rogati a nobis Graviss. Deputati,

ut

ut Ipsi, sine nostro scripto responso, quid viderint audirentque, universumque infelicem collationis exitum, Ampl. Ordini referrent, quod & factum est: unde mirum non est, postea indignationem ejus plane in furorem versam esse. Vides, *V. R.*, ad Conventum a nobis vocatos D. Delegatos, ubicunque id aut consuetus ordo, aut voluntas Magistratus requisiverat, eodem tamen eventu, quo prius Illis absentibus.

*Exclusus*, ais porro p. 25. est *Pastor Parochiae*, ad quem tamen de negotiis Diæceœos cognitio cauſa proxime ♂ primario pertinebat. In Conventum vero sese intrusit litis auctor, qui tamen Senator Ecclesiasticus minime erat. Hunc Pastorem Parochiae fuisse ipsum Parentem hominis J. R. W. caute dissimulas, ne itoliditas orationis & impudentia è vestigio in cunctorum oculos incurrat Lectorum. Hic J. R. W. *exclusus est a Conventu*: quando, & qua de cauſa? Qui ad omnes Actus Conv. a nobis semper, exceptâ cauſâ Filii, vocatus fuerat? tum demum ex Conventu ejectus, postquam flagitiosam illam Epistolam apud Vos publicasset, nec ad rationem de ea reddendam ullo modo a Conv. adduci potuisset: ut prolixè descriptam hujus rei historiam legere est in Epistola Apologetica Conventus, anno 1734. edita. Vellesne ergo, ut quamvis ceu membrum Conv. ad omnes reliquos Actus Conv. nunquam non vocatus fuerit, in hac ipsa Filii cauſa judex aut arbiter federet? quo jure, Naturæ an Civili? quo proposito in hac cauſa ad Conventum vocari aut admitti potuit? Scias tamen, nec hoc, utut tam perspicuum, nobis suffecisse: cum nempe hic im-

E                              pudens,

pudens , etiam non vocatus , vi sese in Conventum ingessisset & intrusisset , nec ullis blandis verbis , ut in caussa Filii ex Conventu discederet , permoveri posset , querelam nobis , de se per injuriam ex Conv. ejecto , apud Magistratum minitatus , rogatus a nobis Ampl. Ordo , an sedes faltam in Conv. sed absque suffragio ei concedenda esset , negavit id districte , & ut ipse in caussa hac nunquam adefset , graviter ei imperavit.

*In Conventum se intrusit litis auctor , qui tamen Senator Eccles. non erat.* Me ita modeste designas : de quo quid habendum sit , ex superioribus patet. Taceo etiam specimen summæ moderationis , qua plus quam puerilem stoliditatem & Ampl. nostro Magistratui , & præcellentissimis Viris de Conv. nostro , qui ita se ab homine obscuro & nullius auctoritatis , circumagi passi sunt , imputas : nec tango ridiculum illum titulum *Senatoris Eccles.* quem universa Civitas nostra prorsus ignorat. Habemus quidem in Academia Senatores Academicos , sed habemus Rectorem & Consulem : in Ecclesia vero nostra hic politicus Titulus *Senatoris Eccles.* æque ignotus & spurius est , ac Titulus Consulis , Lictorisque Ecclesiastici.

Hoc unicum ex Te quæro , quomodo tum , cum Cauffa W. cœpit moveri , anno 1729. me intruserim in Conventum , qui jam supra octodecim annos , membrum Conventus fuerim , per omnia reliquis Ven. Viris de Conventu par ? qui omnibus gravissimis Deliberationibus & Consultationibus , five absentibus Dnis Deputatis , five præfentibus , prout Constitutio nostra id admittebat , interfuerim,

fuerim , non tanquam auditor merus , sed cum suffragii  
jure (Tu dices , tanquam Senator Eccles.) qui in omnibus  
Examinibus & Receptionibus ad Ministerii Ordinationem  
& Confirmationem &c. meas æquali jure cum Collegis par-  
tes peregerim ? Qui in ardua illa & per aliquot annos in  
longum tracta Disceptatione , *de Sorte in Officiis Polit. & Ec-  
cles. introducenda* , cum Collegis in tot Sessionibus delibera-  
vi ? Quomodo ego demum commota Lite W. in Conven-  
tum me intrusi ?

Ut vesania Criminatoris adhuc luculentius patescat ,  
quæro , quis anno 1714. hunc ipsum hominem ad Examen  
pro Ministerio subeundum admisit , quis examinavit , quis  
tandem in Ministerium recepit & ordinavit , quæ apud nos  
sunt munia huic Conventui propria , nisi ego cum Ven.  
Collegis ? Quis hujus Parentem J. R. W. anno 1721. in  
hunc ipsum nostrum Conventum , cum Leonhard. Eccles.  
Pastor forte constitutus esset , tanquam jam membrum hu-  
jus Collegii , admisit , in absentia DD. Deputatorum , nisi  
ipse hic Conventus , cuius jam per decennium quantilla  
pars & ego fueram ? Quamdiu ergo in favorem erga *Wet-  
stenios* quid egit Conventus , omnia rata esse debent . Con-  
ventus est legitimus & verus . Simul ac vero roganti Magi-  
stratui de doctrina Wetst. Conventus ex conscientia & ti-  
more Numinis , responsum dat , parum W. acceptum , il-  
lico fit Conventus spurius & illegitimus .

O Misellum ! qui ad ejusmodi deliria confugere ne-  
cessé habet , ad pessimæ caussæ ἐπικρίαν συκίνην comparan-  
dam . Satis τὸ νόμιμον Conventus nostri tuetur , quod ni-

hil in universo negotio isto, nisi secundum Leges & Constitutionem veterem, quinimmo ex præscripto Speciali Magistratus, egerimus. Agnoscit hunc Conventum & pro legitimo habet, habuitque semper summus Magistratus: agnoscit universa Civitas nostra: agnoscunt exteræ Ecclesiæ. Quid ultra requiris? An testimonium unius hominis futilis, & irâ in Conventum furentis, totum illum consensum destruet, & huic fine ulla specie rationis fidem adstruet?

Sed concedamus & indulgeamus aliquid furori hominis, semper voculis, ut pueri astragalis, ludentis, utut per se abfurdum & futile: fac, Conventum nostrum non fuisse legitimum, i. e. non fuisse talem Congregationem, quæ Conventus Eccles. nomine apud nos solet appellari: quid inde caussæ Tuæ commodi consequeris? Quem nos Conventum Ecclesiasticum nominavimus, nomina Tu Congregationem, Cœtum, Collegium, aut quocunque aliud placet nomen. Semper verum est & verum manebit, fuisse illud Collegium ex universis Theologis & Pastoribus Urbis constans, cui, & cui uni, a Magistratu hoc negotium, ut in caussis similibus semper, dijudicandum commissum est: hoc Collegium omnium Pastorum & Theologorum Basil. tandem, saepius auditio homine, aut ejus apologiis, re mature & in timore Domini expensa, rogante Magistratu judicium nostrum, hominem reum pronunciavit unanimi consensu, atque ante emendationem, Ecclesiæ inutilem: quod judicium dein suo suffragio comprobavit Senatus.

Quæ subjicis p. 26. &c. non melioris commatis, ostendunt duntaxat, Te argumentis solidis ad purgandum hominem

minem , prorsus destitui. Calumnia de vetita ab Ampl. Magistratu impreßione Actorum W. & corruptione , jam dudum ita displosa & dejecta est partim a Ven. ISELIO b. m. in *Depulsione Calumniarum* anno 1734. partim in *Ordinis nostri Epistola Apologetica* adversus J. R. W. anno eodem hic Basileæ , editis : ut jam per vicennium mortua, per clamores hominis futilis exurgere nequeat.

Alterum, de Testimoniis Mülhusinorum , Neocomens. & Genevensium , quasi hujus caußæ faverent , nihil prorsus ad rem facit , & potius contra illum tacitum testimonium præbent. Quid enim aliud scribunt , quam se a nobis super hac re nunquam compellatos fuisse ? Quod sane verissimum : nos enim pro more vetere Literas Communiicatorias ad Ecclesiæ Fœderatæ Helvetiæ Cantorum Reformatorum Tigur. Bernens. & Schaphuf. solas misimus : nec unquam de aliis Ecclesiis , fœderatæ Helvetiæ adjunctis, vel cogitavimus , nedum ut hoc jactaremus : quod vel sola inscriptio Literarum p. 314. & seq. Actor. W. occurrens , & passim alibi , Te , si consuetudines & Titulos Eccles. Helvetic. ignoras , docere potuisset. Sed Testimonia a Te vel homine Tuo producta , Ipsius caußam non obscure jugulant ; cum enim istæ Ecclesiæ a nobis nunquam fuerint compellatae , sane nec approbationem caußæ nostræ , nec dissensum a nobis testari poterant. At vero a W. Patre blandissime salutatæ , & ad consensum testandum singulari arte invitatae Ecclesiæ illæ , cum ne vel minimum indicium favoris aut consensus in cauffa Filii dederint , contenti miserum Parentem qualicunque solatiolo erigere , nonne fatis indicarunt , quid mentis sibi esset ?

E 3

Piget

Piget tædetque plura examini subjicere ; ita omnia similia sunt. Hinc Tibi relinquo bellam tuam declamationem , quæ in quosvis alias potius , quam in Conventum nostrum convenit : Tibi certe melius aptari potest. Vocas dein nos ad lætiora : sed & hic Te tuâ non subsequar ripâ. Certe non excutiam , quæ de Coetus Leonhardini Libello supplice narras. Legere est universam illam Scenam , rite discussam jam ante vicennium in Scriptis nostris : quæ si consulere non dignaberis , mirabor ego , si a risu Tibi temperare queas. Tria tantum obiter & carptim adhuc attingam : 1°. de ejus Apologia coram Delegatis p. 30. 2°. de Professionibus ab eo hic ambitis , p. 32. & 3. de ejus vitæ pietate morumque sanctimonia p. 41.

De 1°. affirmas , Illum ostendisse , notata Studio fororum nihil probare , Protocollum totum postea fuisse confictum , Testes nihil ad accusationem probandam dixisse &c. Si dixisses , illum talia apud Viros Ampl. pro effrœni sua impudentia confidenter protulisse , Tibi facile hoc accrederem : Sed pro vero hoc illis persuasissè , ut jam innocentem agnoscerent , hoc quidem aliud est , quod ne ipse quidem criminator ausus est clare exprimere. Et quis hoc in animum inducat ut credat ? Viri isti Graviss. non ita dudum antea per sex septemve menses in innumeris & continuis Sessionibus Senatus , hæc aliaque ad Caussam ejus pertinentia ita sedulo , prolixe , exacte excusfa cum diligentissima resolutione omnium exceptionum , summo studio audire , ut non modo alte in animum descen-

descenderint, sed & consensum postea in condemnatione hominis, utut in modo pœnæ aliquis ejus diffensus, unanimem produxerint. Nunc vero ad nudam hominis vocem, illa centies ante refutata mendacia audacter iterantis, absque ullis novis fulcris, subito quasi fulmine tacti, aut Enthusiasmo correpti, mutant mentem, injuriam factam agnoscunt dolentque, verbo, innocentem & restituendum in integrum pronunciant: credat de sapientibus & gravissimis Viris Judæus apella.

Immo, ais, res ipfa id docet: cum, *resciso priori decreto, ipsum, factâ potestate omnes functiones sacras obeundi, restituerent.* Immo, inquam ego, mansit decretum prius in omni suo vigore, per quod munere suo Diaconi Leonhardini dejectus, alius in ejus locum suffectus est. An vero in Diaconatum restitutus, successore abire jussò, aut faltem ei adjuncto? An salarium & priores honores ei reddit? Vel, etiam extra ordinem, aliud ei collatum officium Ecclesiasticum, faltem illud humilius antea ab eo gestum Diaconi Communis, quod profecto æquitas, & hominis innocentia flagitabat? Nihil horum: ad communem meri Candidati fortem redacto, quasdam pro aliis Ministris functiones sacras, non sane omnes, nedum Excommunicationem majorem, quam tamen homo *ἀναιγχυνός* improbo ausu sibi sumfit, clementer concessit, nec tamen consulto nostro Conventu. Unde homo multas per aliquod tempus habuit conciones publicas, sed nonnisi pro Parente aut forte Cognato, reliquis omnibus Urbis Pastoribus & Diaconis suas concionandi vices homini ab Ecclesiis

fiis excommunicato tradere deditantibus. Verum tantum laetitiæ paullo post in meram desit tragœdiam.

Quod vero ad qualemque hanc gratiam faciendam homini permoveri se passi fuere Ampl. Proceres, fecit non fane convictio innocentiae ejus, a qua Illi, ut quidam eorum nobis confirmarunt, abfuerunt quam longissime: sed præter innatam bonitatem & misericordiam, partim infandum Parentis studium, actum de se misero sene vociferantis, ejulantis, Dei hominumque fidem appellantis, nisi Filius sibi redderetur, eaque de caussa quotidie Potentiorum limina terentis, ita illos incurvantis & obtundentis, ut vitam illis acerbam ficeret: partim similes querelæ Filii ingentem calamitatem suam adhuc expertam deplorantis, & nisi restituatur, tutam stationem ne quidem apud exteris reperturum clamitantis: promittentis simul omnia in posterum meliora. Spes hinc nata Viris Ampl. qualiscunque, de homine miseriâ præteriti temporis paululum emendato, redditum illum pedetentim ad meliorem fanioremque mentem: saltem periculum se habendis concionibus de emendatione hominis posse facere, haud absurdum judicabant: unde tandem hanc ei qualemque potestatem gratiose largiti fuere: quod vel ipse indicat in Prolegomenis suis, decretum ad aliquam sui *consolationem* factum esse memorans.

Verum enim vero spes illa paullo post, plane decollavit, & poenituit Ampl. Proceres Consilii & gratiæ factæ. Audire enim cogebantur veterem lusum tum extra suggestum, tum pro suggestu, ludi non sine multorum offensione: extendi

tendi enormem in modum licentiam datam contra voluntatem suam, ad ipsam publicam Excommunicationem majorem, quæ Parenti à Magistratu in scelestum quendam exercenda commissa fuerat. Patientiam tandem omnem vicit, expugnatique, sceleratum & furiosum scriptum, mendaciis & contumeliis in omnes Ordines Civitatis summos & minores, Politicos & Ecclesiasticos, totum perspersum, & ab eo nescio quâ occasione ipsi Senatui, impudentiâ sine exemplo, oblatum: quod perlectum, ita omnibus, ne illis quidem exceptis, qui amico adhuc in ipsum fuerant animo, de Ampl. Ordine, stomachum movit, ut secessione factâ, Senatus Consultum fecerint, vocandum criminatorem ad proximam Senatus Congregationem, gravissimâ censura nomine Ampl. Ordinis ob flagitia perstringendum, ante oculos ejus famosum Scriptum dilacerandum, & ad pedes criminoris projiciendum esse: cujus sententiæ ignominiam nonnisi maturâ, antequam dies illucesceret, fugâ ad Vos evasit: dum interea Ampl. Ordo severe jubet, Scriptum horribile intimo penetrali recondi, ne cujusquam oculis pateret, producendum tum demum, cum tempore opportuno executioni mandari queat. Hæc est honorifica illa restitutio hominis, quam adeo celebras.

Verbum addo de *Protocollo*, quod totum postea fuerit a falsario confictum: ut ostendisse hominem Ampl. Ordini gloriaris. Annon hoc omnes impudentiæ & fraudulentiæ numeros superet, Te ipsum Judicem facio, postquam quid rei hoc fuerit, paucis ex me intellexeris. Mox ab initio

F

hujus

hujus caussæ, cum Senatus mandasset, ut ad Examen tum  
 doctrinæ, tum futuræ Editionis N. T. hominem citaremus,  
 visum est Conventui adhibere operam Viri Rev. & non minus  
 verâ Pietate quam solida eruditione conspicui, hominisque  
 ipsius Cognati, THEODORI BURCARDI, ædis Petrinæ  
 Diaconi jam diu meritissimi, qui calamo breviter excipe-  
 ret responsa hominis, partim ut sublevaremus memoriam  
 nostram, partim ut tradi possent tum ab Urbe absenti τῷ  
 μακαρίτῃ Ven. ISELIO. Coit ergo Conventus, adsunt & Vir  
 ille Rev. operam navaturus Conventui, & ipse homo, ad quæ-  
 stiones a Ven. Præside ex scripto proponendas, responsu-  
 rus. Antequam quæstiones proponerentur, quærerit homo  
 per Scomma ex Viro illo Rev. quid hic ei in Conventu ne-  
 gotii esset, an pro se vellet respondere? Hoc modo enim  
 fibi eripi occasionem, dicta sua postea pro arbitrio mutan-  
 di aut prorsus abnegandi, ægerrime tulit. Hic suis oculis  
 vidit, ut vidit Conventus, responsa sua calamo consignantem  
 Virum illum Rev. invitus profecto. Nonnunquam ex sedē  
 sua exurgens, percurrit scriptum oculis, monetque hic  
 aut illic ita scribendum: quod & in nonnullis lubens con-  
 cedit Conventus. Ita cum omnes quæstiones ordine ef-  
 sent discussæ, omnia responsa sub ejus oculis, breviter  
 tamen annotata, trihorium aut quadrihorium per mirificas  
 hominis tergiversationes & ludificationes abiit: & cogeba-  
 mur revisionem annotatorum in proximum Conventum re-  
 jicere: interea pro more missa illa ad singulos de Conven-  
 tu, ut si quid vel mutandum vel supplendum, indicarent.  
 In scriptione Rev. Viri nihil mutatum est: pauca supple-  
 menta separatæ schedæ a quibusdam inscripta, quæ tamen  
 certo

certo ab eo in Conventū prolata constabat , adjecta. In proxime habito Conventu totum scriptum revisum , pau- cula illa supplementa suis inserta locis , exempla inde de- ducta omnium calculis approbata , pro Magistratu , pro Ven. Jselio &c. Autographa ipsa in Archivo nostro re- posita : ex iis dein typis expressa sine ulla mutatione. Ex- tat nomine Examinis in Act. Wetst. pag. 5. quod postea *Protocollum* Ven. ISELIO appellare placuit. Hæc ego, qui omnibus rebus interfui , bona fide recito : supereft per DEI gratiam, Vir ille Rev. , paratus non modo scriptionem manus suæ vindicare , sed & pro confirmatione totius rei testimonium dicere : supersunt autographa in Archivo , omnium oculis , necessitate exigente , subjicienda. Ipse Sycophanta olim , cum frequenter ad protocollum provo- caremus , in scriptis ad Magistratum suis , ne verbulo qui- dem , metu publicæ irrisioñis , γνησιότητα ejus in dubium vocare ausus est : nunc demum , vel clam, vel apud exte- ros rerum ignaros , talia spargit. Tu jam V. R. si potes frontem homini plane periisse nega.

Secundum de *Professionibus hic ambitis* , si cum circum- stantiis rite enarraretur , non magnam *lætitiae* materiam sup- peditaret: ego brevitatis caufa , nonnisi duas omissiones , sed quæ faciem rei plane mutant , attingam. Omisisti in- ter Professiones eo tempore ab eo ambitas , Professionem Linguæ Hebraicæ , majoris fane utilitatis, quam Rheticæ: hic vero , ut in numerum Competitorum referretur , a Se- natu Academico nullo modo , ne unico quidem suffragio,

obtinere potuit : non quod omni eruditione in hac lingua careret , quam tamen magnam nunquam in hoc homine fuisse , nobis certo constabat : sed quia ob gravissimos & foedissimos errores ex Ecclesia ejectus , & ab Ampl. Ordine eo nomine condemnatus esset. Ut a Senatu Academico exclusus , ita , ut ad petitionem hujus Professionis admitteretur , nec ab Ampl. Magistratu super hoc compellato , impetrare potuit.

A. 1744. à Curatoribus & Senatu Acad. Linguae Graecæ Professor electus est. Hic ferio triumphas. Quis vero Te hæc docuit ? Nullum equidem ille à 4. Delegatis Senatus , seu , ut Tu loqueris , Curatoribus , ne unicum tulit suffragium : à Senatu Acad. i. e. ex Professoribus 12. duo duntaxat , quorum unus inter perpetuos hominis compotores & quotidianos , se ægrum in Senatum deferri magno studio , tamdiu jam ab illo absens , curavit. Non vero electus est à Senatu Acad. & Curatoribus : sed fors , quæ apud nos regnat , favit duabus amicorum suffragiis supra 14. reliqua. Confirmatam dein ab Ampl. Ordine rem nihil plane habet admirandi : Sorti enim , quæ apud nos sacra , intercedere , nequaquam ex usu videbatur Ampl. Ordini. Alio modo , incommodo fortis obviam sapientissime ivit Ampl. Ordo , addendo Decreto suo hanc conditionem , ne possit provinciam hanc adire , nisi prius Conventui nostro satisfecisset : quod vero idem fere est , ac Electionem , quam Tu vocas , irritam reddere : Constabat enim abunde , hominem nec posse per eam viam,

yiam, quam unice elegit, fraudis & triumphi, Conventui satisfacere, nec velle verâ viâ Sacrarium Ecclesiæ ingredi. Conditio autem illa, ut altissimo hic silentio à Te premitur, ita mirum in modum homini displicens, in omnibus scriptis, in quibus de sua hac Electione gloriatur, cautissime celatur. Interim, ut saltem aliquid lætitiae ex hac Electione sibi compararet, Vos, os egregie sublinendo, bona summa pecuniæ emunxit, aucto hac occasione honorario. Præter illud bonum ex resignatione officii, quod nunquam potuerat adire, per fraudem partum, duo inde vere bona contra ejus intentionem enata sunt: 1°. quod magna sollicitudine & tædioso labore levaverit Conventum & Ecclesiam nostram: denuò enim cum excetra hac pugnandum, & ludus ille antiquus in fucis, technis & strophis ejus detegendis renovandus fuisset, summa quidem cum hominis ignominia & probro, sed & ingenti nostra molestia & fastidio: secundò, hac ejus abdicatione via facta est ad ornandam hanc Spartam Academ. Viro & puritate vitæ, & exquisita tum in omni literarum genere, tum Græcanicæ Linguæ cognitione, ipso mirum quantum superiori, ANTONIO BIRRIO.

Supereft ut de 3tio nonnihil adjungam: *Verâ atque infucatâ Religione*, ais, *Deum coluit*, p. 41. Hic nonnulli, qui hominem penitus olim cognoverant, quid hoc sibi vellet, quæsivere: ita enim hic cunctis prophanum ejus animum & omnis Religionis contemptorem, in concionibus, in triviis, in circulis, in conviviis, in sermonibus se

exerente innotuisse, ut quamplurimi honestiorum & religiosorum confortium & societatem omni conatu refugerent: Religionem ejus, si quam habuit, non Christianam, sed Hobbesianam potius appellandam esse: & alia similia. Rem ipsam, qui hominem penitus & in cute pertantam annorum seriem cognoveram, non poteram inficiari. Respondi tamen, forte *Clar. KRIGHOUT* melius hic loqui, quam sentire: uti voce, *infucata Religio*, sensu bonorum Latinitatis Auctorum, ut significet, Religionem quam maxime fucatam: quemadmodum dicimus infracto animo, i. e. plane fracto: non vero sensu triviali negativo, pro Religione minime fucatâ. Quo sensu si capiatur vox hæc, tum præter bonam latitudinem, sensum prodire verissimum: Religionem ejus fuisse merum fucum, meram fallaciam & speciem.

Quidquid autem voluerit V. C., certe vel ex sola lectione Prolegom. novorum in N. T. intelligere potuit, quanta in Deum, quanta in Religionem Christianam religione feratur editor, qui existimavit, hanc demum esse præparationem veram ad lectionem Libri sanctissimi, in quo præcepta charitatis, humilitatis, patientiæ, puritatis, tranquillitatis, affectus in res cœlestes, utramque faciunt paginam, si strenue mentiendo, vivis mortuisque sanctissimis Viris obtestando, horrendisque contumeliis & probris memoriam ipsorum obruendo &c. in illos graffaretur, atque animo ultionis cupido, rixoso, maligno, fræna laxaret: qui ita Christum cum Belial confundit, an Spiritu Dei, an Sathanæ & Bacchi furoribus agitetur, primum est dijudicare.

Longe

Longe aliter sibi agendum esse censuit Cel. ejus antecessor JOH. CLERICUS V. C., qui in Praefatione in Versionem Gallicam N. T. ita tenero sensu Religionis Lectorem afficit, atque ad Sanctissimi Libri lectionem disponit, ut non possit non mirifico amore & ardore in Deum, in Christum, in sanctissimas Oraculorum ejus tabulas corripi, & ad exercitium Virtutum vere Christianarum acerime extimulari.

Nominas dein tres Virtutes particulares, quibus, ceu totidem notis characteristicis, præcipue eminuerit, *Modestiam*, *Candorem* & *Philanthropiam*. Hic iidem illi homines alias amici, rectissime hæc dici: in primis si adjiciatur quarta Virtus, singularis *Temperantia* in cibo, & potissimum *potu*. Ita enim absolví integrā imaginē Viri, a nullo Pictore melius exprimendā: modo universa hæc per antiphrasin aut Ironiam dicta censeantur. Modestia adeo fuisse singulari, ut semper sui plenus, de se quidem magnifice, de aliis vero omnibus, in primis virtute, pietate aut eruditione supra alios eminentibus, pertenuiter, immo abjectissime sentiret. Candore vero tam eximio, ut quam alii alto premunt corde impietatem, & perversam animi malignitatem, ille gloriose propalam præ se ferre consuevit: in dictis vero & sermonibus tantum, ut fere hic in proverbium abiret: W. vel plane non intelligi posse, vel nisi quis ultro decipi velit, semper contrarium ejus, quod diceret, intelligendum. Philanthropiā vero tam late fusa, ut tametsi homines pietate, meritis, & quacunque virtutis  
præ-

præstantia conspicuos, in primis rectis sententiis in Religione addictos, aut præclara Eruditione aliis superiores, immani prosequeretur odio & contemtu: nulli tamen Religioni adhærentes, Atheos, Deistas, Naturalistas, & quoscunque improbos sæculo affixos, nullâ nationis, nullâ habita differentium opinionum ratione, amaverit, coluerit atque in deliciis habuerit, præprimis, si sibi favere, stupendam suam Eruditionem suspicere, Ipsum, sed tamen è longinquo, ceu διοπετεῖς, venerari, in animum induixerint. Sobrietatem vero in potu quis non admiretur? Qui, cum inde ab adolescentia perdius & pernox Libero Patri sine interruptione sacra fecerit, adeo ut per plateas incedens, vix gressus regere, aut domum versus viam infistere quiverit, tam fortitamen gavisus sit cerebro, ut a Baccho se facile subigi non pateretur, quin immo vel solus in Museo, Bacchum cum Phœbo miscens, de altissimis mysteriis & summis apicibus literarum profunde commentatus fuerit. Ut huic ego sermoni calculum adjiciam, haudquaquam necesse est: novit universa Civitas nostra, forte & Veftra, quid veri ei subsit. Vnicam ego objectionem, quam hic forsitan movebis, diluam.

In Actis, dices, Vestris nihil plane de impura hominis vita moribusque occurrit: unde primum est colligere, vel hominem fuisse sanctissimis moribus, vel Conventum nonnisi ad dogmata speculativa Religionis attendisse, praxi vitæ sanctæ, quæ tamen Essentiam Christianismi constituit plane neglectâ. Verum nihil hujus: audi rem, ut gesta est.

Mox

Mox a principio hujus caussæ Ven. Præses noster, Antistes BURCARDUS proposuit Conventui, annon conveniens es-  
set, ut oblatâ hac occasione, Magistratui non tantum doctri-  
nam hominis, sed & vitam flagitiosam, nequaquam Ministro  
Evangelii dignam, exponeremus: notum esse universæ Ci-  
vitati, quomodo hic πολυπεάγμων omnibus rebus ad ip-  
sum minime pertinentibus, sepe ingerat, in primis politi-  
cis, adeo ut longe plus temporis studiique Senatus Con-  
sultis, quam Verbo Dei inquirendo, impendat: quam pro-  
phanos in omnibus compitis & symposiis spargat cum sum-  
mo piorum scandalo sermones: quam largiter se quotidie  
ad compotationes & ebrietatem indecoram invitari patia-  
tur: metuendum, ne aliquando nos neglecti officii insimu-  
let Magistratus. Intercessit vero Ven. Senior noster WER-  
RENFELSIUS monens, agi jam de doctrina hominis tan-  
tum: hos limites nobis præfixisse Magistratum, intra quos  
nos continere debeamus: verissima quidem & in vulgus,  
immo Ipsi Magistratui nota, quæ de flagitiosa ejus vita di-  
cuntur: sed præmittendam hic privatam admonitionem:  
quam si susque deque habeat, tum demum rem, cum hic  
Parens ejus desit suo officio, vel ad Conventum vel ad Ma-  
gistratum deferendam esse. Expensa re, omnes tandem  
in hac Ven. Senioris nostri sententia acquievimus. Unde  
est, quod in nullo Scriptorum nostrorum flagitiosæ ejus  
vitæ mentionem fecerimus, nisi quod fraudes & technas  
hominis, ab eo coacti, detegere & in lucem proferre, de-  
buerimus. Et hanc omissionem si intelligas pag. 30. nobis  
objectam, nos eam ultro profitemur: fin aliam, acsi quid

G

caussam

caussam ejus juvans studio omissemus, calumnia mera est, reliquis ejus mendaciis annumeranda.

Calanium hic sisto, plane lassus & defatigatus in Augiae hoc stabulo ulterius purgando. Nec tamen vel centesimam partem ejus, quod limam & runcinam meretur, attuli. Quæ enim una Periodorum aut etiam Paragraphorum labo caret? Verum, cui hæc cognoscendo homini non sufficiunt, eum nec plura æque gravia & vera, quæ nullo negotio accumulari possent, movebunt. Dices forte, stylo hæc me acerbiore & acriore exarasse. In Te certe, V. R., haudquaquam: quem noveram, tum ex rei ipsius natura, tum ex aperta Tua professione, nihil nisi è scriptis hominis, vel etiam Literis ejus ad Te datis, protulisse: velim ergo omnia quæ duriora videntur, ad illum tanquam unicum auctorem referri. Hunc vero, qui contra animi conscientiam, tot mendacia, tot calumnias, tot contumelias in Viros innocentissimos & omni meritorum gloria fulgentes (de me non loquor) improbo ore aut stylo effudit, prout convenit, tractari, & justitiæ ratio postulat & interest rei literariæ, quæ tales grassatores & latrones non fert: nec dissuadet Religio Christiana unamquamque rem suo vero nomine appellari, & scapham scapham vocitari: absit modo omnis excessus & animi impotentis ærugo. Indignum sane me civem Montis sancti agnoscere, si non cum reliquis elogiis & hoc ambirem tam luculente a

נָבֹה בְּעִנֵּיו נַמָּס וְאֶת  
Vid Ham- Pfalmista expressum, Ps. 15. ¶ 4.  
mondum in Locum. יְרָא יְהוָה יְכַד. Verus Dei cultor, ut pios & vere  
Deum timentes, magnos parvos, diligit æstimat, atque  
omni

omni prosequitur honore: Sic ex adverso viles, abjectos, reprobos, contemtores Numinis, fastidit, aspernatur, abhorret, huncque suum illorum contemptum, ne aliis noceant, manifeste præ se fert. Si unquam verum timorem Domini, & sincerum Pietatis studium; si, vel durante caussa ejus, candoris, ingenuitatis & modestiæ Christianæ vel tantillum in eo deprehendissem, certe, non obstante ingenti inter me & illum sententiarum & opinionum dissensu, nihil non, salvâ conscientia, pro eo egissem. Cum vero cunctis monitoribus asper, nonnisi per fraudes, mendacia, prensationes & machinationes politicas, caussam vincere, nosque, ut hæc ejus improba molimina, nostro suffragio & auctoritate comprobaremus, solicitare in animum induxisset, infelicem negotii successum, sibi soli & irato suo genio imputat.

*De Te V. R. nihil ejusmodi conquerimur: Quod Te-*  
*cum expostulamus, huc redit: quod aures patulas homi-*  
*ni ad omnem audaciam projecto, & furiis in nos agitato,*  
*non excussis momentis caussæ, in Scriptis & nostris & il-*  
*lius obviis, quasi coeco assensu præbens, injustam & atro-*  
*cem Sententiam in Conventum nostrum tam præclaris Viris*  
*constantem, & per hujus latus in Ecclesiam nostram &*  
*Magistratum tuleris: hancque injuriam publicâ Oratione*  
*in omnes Europæ regiones mittenda, quantum in Te, la-*  
*tissime spargere, nosque omnium bonorum odio exponere*  
*volueris. Vel hoc exiguum & pertenue Scriptum, multo*  
*magis vero Acta ipsa W. cum aliqua cura expensa, oculos*  
*Tibi aperire, & veram rerum faciem indolemque ostendere,*

dere, apta nata sunt. Vide ergo, *V. R.*, annon æquitas & sinceritas Christiana palinodiam, publico Scripto testatam, suo jure a Te exigant. Quod si in animum inducere queas, gratulabimur Veritati tandem agnitæ, & promeritas debitasque Tuo generoso & Christiano animo laudes in Historia, quam molimur, Caussæ Wetst. tribuere, nostrarum erit partium. Sin aliter instituere & quo pede cœpisti pergere placet; scito bonæ nostræ, immo Dei Caussæ non defuturos, & me defuncto, Patronos & Propugnatores. Vale, *V. pl. Rev.*, & hanc liberiorem quidem, sed bono animo profectam compellationem æqui bonique consule. DEUS O. M. pro gratia sua, Te omni bonorum genere cumulet, & ab hominibus ἀτόποις, sua, non quæ Christi, quærentibus, mundo vero soli inhiantibus, benigne liberet.

*Rev. T. studiosissimus, & ad Officia  
Chriſt. paratiſſ. Joh. LUDOV. FREY.*

Scripsi BASILEÆ M. Nov. 1754. manu  
quidem languidâ, at animo, per DEI  
gratiam, non penitus fracto.

P. S. Egi in superioribus cauſsam, pro modulo meo,  
Conventus nostri Ecclesiastici, atque adeo Virorum omnibus laudibus excellentiæ meritorumque clarorum, quorum memoria, ut mihi suavis & jucunda, sic & sacra est: de me per pauca interfatus, & non nisi ea, quæ cum rebus Conventus arctissime conjuncta, lucem illis foenerantur. Vel ex his paucis nullo negotio intelligi potest, quam facile mihi effet, acervum illum calumniarum & mendacio-  
rum,

rum, quem in Prolegomenis ad N. T. in me, in meam vitæ rationem, in officia mihi imposita, in sententias mihi proprias, in sermones mecum habitos &c. improbo calamo, ἀπροσδιονύσως οὐ δεῖνα project, dissipare, & in ipsius vertere caput. Abstinui tamen ab hac ingloria opera vivo adhuc auctore, ut ille me ad hanc pugnam omni stimulo laceferet: multo magis adhuc in posterum abstenturus, defuncto nunc illo, & ad rationes reddendas vitæ actorumque a Supremo Judice evocato. Multæ adsunt & graves rationes, quæ me, hoc ut eligam, adducunt. 1°. Quid interest Publici, quid Orbis literati, ut particularem & exactam cognitionem de me, obscuro & nullius authoritatis homine, de studiis, muneribus, actionibus & sermonibus privatis meis habeat? 2°. Nonne quamplurima ad laudes meas ebuccinandas in defensione ejusmodi proferenda escent, quæ ille ad opprobrium & contemptum mei magno studio contulit? quod esset seipsum gloriosum inferre & περιαυτολογεῖν in publico Orbis theatro, qui hoc ipsum studiose in privato semper refugi. 3°. Satis me, vitam moresque cognoscunt boni hic omnes, sed & exteri quamplurimi, qui utut particulares circumstantias rerum dictorumque ignorent, subesse falsa & mendacia narrationibus hominis, plane persuasi sunt. Ab illis, qui me non cognoscunt, hanc æquitatem expecto, ut de ignotis judicium ferre recusent: in primis cum non possint non videre, profici si hæc ab homine, furore & pravissimis affectibus concitato. Profectò contumeliæ istæ adhuc apud Viros probos perparum mihi nocuerunt: nec ut in posterum honestæ fa-

mæ multum detrimenti afferant, admodum metuo. 4°. Ut autem pertenuiter de me ipso sentire, jubet conscientia, ita fateor tamen, dèdignari me cum hoc luto manus conferere: ubi sive vincas sive vincare, commacularis: in hanc me sententiam propendentem confirmant Virorum gravium, cordatorum & sapientum Consilia & hic & in exteris oris, etiam Genevæ data, quam tamen Urbem fautricem suæ improbitatis facit putidus homo: suadentium, a responso abstinere; allegato etiam Cel. FONTENELLII exemplo, qui generoso silentio & contemtu omnes Scribillatorum adversariorum machinas eluferit & fregerit. Tandem 5°. monet ætas ad metam spectans, monet valetudo afflcta & indies deterior, ut neglecta ista parum utili & rixosa disceptatione, melioribus & magis necessariis studiis pauxillum quod superest ævi, si quid superesse voluerit Deus, impendam, & piis precibus, sancta meditatione Oraculorum divinorum, seriæ vitæ anteactæ emendatione, & diligent pro viribus impositi Officii observatione, propediem adventanti Domino obviam eam. Καὶ τῷτο ποιήσω, ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ οὐ Θεός: cui sit Laus & Gloria in æternum.





